



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fuldensivm Antiquitatvm Libri III.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Capvt VIII. Disciplina Monasterij Fuldensis præsertim exterior.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

tatis obliuionem; cupitque peregrinis omnibus perquam studiosè humanitatis quoduis officium impertiri: quorum si maior frequentia superuenerit, suadet, collatione vndique factâ ab his qui Cellis præstident, annonam meritò cunctis erogari. Antiquissimam litterarum memoriâ Cellam reperio apud Rudolphum eam, cui Baugolfus Sturmi successor nomen dedit; & postea à monasterio & primo habitatore, nomen Wolffmunster inuenit, in Hamelburgensi tractu sita. De hac Rhabani tempore scripsit Rudolphus in translatione quâdam Reliquiarum paulò post memorandâ: *Cùm appropinquassemus villæ, quæ vocatur Hamalunburgh, sita super fluuium nomine Sala; quæ fuit quondam fiscus regius; & occurrerunt nobis cum cereis & crucibus fratres nostri, qui habitabant in Cellâ, quæ ob hoc, quòd ab eo quondam est habitata, Baugolfi vocatur.* Vbi iam facilis ostenditur via, quâ Cellarum originem & nomina cognoscamus. Ferunt enim, meo quidem animo, vel conditorum vel primorum incolarum, vel etiam rerum quæ in iis vsurpatæ inuentæque vocabula. quod, ne longius abeam, in Cammercellâ, Glassercellâ, Pilger, id est, peregrinorum Cellâ, cuius fundi xenodochio seruiuerunt, Eichecellâ, manifestè ostendo; siquidem illæ rerum symbola gerunt, vulgo notissima. Mackocella, à Magone, cuius concisio Mag, fortè fert nomen. Magonem enim Rudolphus presbyterû & monachum eximium celebrat, qui S. Liobæ res gestas litteris mandare cœperat. Similis ad aliarum etymon, facile suppetat inuestigandi ratio. Sed satis in præsentia nobis est, Cellarum aliquam, etsi non optimo penicillo, delineasse imaginem; easque vindicasse ab vsu priuato, transtulisse ad publicam hominum vtilitatem.

Cella Baugolfi Wolffmunster.

Hamalunburghum villa fisci regij.

Cellarum etyma.

Magon presbyter Fuld.

## CAPVT VIII.

### *Disciplina Monasterij Fuldensis. præsertim exterior.*

**D**ISCIPLINA, quomodo hîc de eâ loqui ingredimur, neruus quidam est, & custos totius monastici instituti; ordinatâ constans & perfectâ vitæ normâ, nec non exemplis & obseruatione morum, quos homines sancti commendarunt: qui optimam viuendi rationem, legibus certis & regularum consti-



constitutione, tradiderunt. Hanc sapientissimi religionis magistri agnouere duplicem; interiorem, quæ animam, compresso & extincto irarum & cupiditatum ardore, non sine pulchritudine recti & honesti, continet in officio: exteriorem, cuius partes sint, omnium membrorum motibus ad æquabilem statum reuocatis, decorum exhibere in omni functione, siue publicâ siue priuatâ. Laudauit vtramque impensè B. Cæcilius Cyprianus: *Disciplina, inquit, custos spei, retinaculum fidei, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis.* Fortius etiam Hugo de S. Victore; disciplinam, *malorum desideriorum dixit esse carcerem, frenum lasciuie, elationis iugum; domare intemperantiam, leuitatem constringere, in compositos animi motus suffocare.* Ab exteriore initium facere, & huius specimen aliquod libet proponere: quâ in re non ipsam modò rectè & honestè viuendi institutionem amplectimur, sed nonnulla quoque nobis in medium procedunt instrumenta & præsidia, quibus & disciplina conseruari, & nasci, propagari que solet; siue illa doctrinarum studiis, siue exemplis, seu meditatione rerum diuinarum, seu denique operum & morum inspectione tractatione que nitantur. Permagnum semper in monasteriis legitimè institutis maiores fecerunt eam custodiam, quâ, claustris sponte adhibitis, & veluti obiectis curiosæ naturæ repagulis, homines qui se Deo semel totos deuouissent, & mundi pompis ac illecebris multam salutem dixissent, à sæculi contagio & malorum irritamentis coerciti, vitam in Christi obsequio degerent securiorem, & ab iis essent periculis longè, quibus ad eò vitæ conditio humanæ, & multiplex vndique influens peccandi occasio, ceteros quotidie mortales implicat. Hinc continentes etiam, & Deo gratissimas animas, hoc disciplinæ genere sic nouimus delectatas, vt ne matrum vel sororum quidem conspectum sustinerent, suosque à noxiarum rerum appulsione sensus haud minore curâ arcerent, quàm insidiatores à thesauro violando solent diuites avari. Spartanam ciuitatem commendat Valerius Maximus, quòd seuerissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquamdiu ciuium suorum oculos à contemplandâ Asiâ retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Nihil vtique huius generis inter istam Lacedæmoniorum rempubli-

D 3 cam,

*Disciplina  
natura par-  
tium.*

Hugo de S.  
Victor. In-  
stit. mona-  
stic. ad No-  
uitios, c. 10.  
D. Thom. in  
opus.

Bonauent.  
Spec. discipl.  
c. 7. & seq.

Turrecrem.  
prolog. ad  
reg. S. Bened.  
\* Lib. de di-  
scipl. & ha-  
bitu Virg.

*Claustri cu-  
stodia, & fu-  
ga tumultuosa vitæ.*

*Oculorum  
continentia.*

Lib. 2. cap. 6.

Broueri  
antiquitate  
videntes.

STV

9



cam, & hanc religiosorum familiam, interest aliud, quàm quòd illa legibus coacta seruire humanis, tandem licentiæ fræna soluit; & malè coërcita, postremò luxui habenas dedit; hæc Deum sponte secuta, nec humanis vllis se satis tutam legibus rata, se murorum quoque septis obuallauit, quo tardiùs ad ea mundi blandimenta recideret, quæ semel in Christi gratiam spreuisset. Quare, vt aureas blandissimæ dominæ voluptatis compedes vniquam ne sentiret, volūtarium hunc carcerem arripuit, velut arcem & præsidium aduersus virtutis & religionis hostes. Meritò itaque præstantissimus huius disciplinæ magister *stagnis comparare solet monasteria, vbi quodammodò incarcerati pisces euagandi non haberent libertatem.* Sic sapientia diuina tabernaculi sui thesaurum pellibus, & alio multiplici tegmine, à sole & imbribus, aliisque iniuriis aëris defendit: sic sponsam suam velut fontem obsignari & sicut hortum concludi voluit: sic denique parens artium & inuentionis ipsa natura, pomorum alia carinis putaminum inclusit, alia echinato calice, vel spinarum aculeis armavit, præstantiora nempe fructuum & ipsam corticis medullam remouens à conspectu, & latebræ cuiusdam recessu protegens, vario vsa pro muris & tectis operimento. Documento probabili, vbi humanæ fragilitati in prauum vsque procliui aliter consuli non potest, ibi nullum custodię genus abundè duci. Scitum illud Cassiani, haustum ex seniorum disciplinâ, *omnimodis monachum fugere debere mulieres, & episcopos.* Sanè de Fiacrio notæ sanctitatis eremitæ apud Meldenses, memoriæ proditum est; feminis monasterij septa, quod Virgini matri istic extruxerat, vsque ad eò voluisse interdita, vt precibus à Deo consecutus sit, vti quæcumque pedem proteruè intulisset, hanc protinus vltio diuina repelleret. Hoc igitur custodiæ monasticæ institutum, tum vbiq; laudabile, tum Fuldenis monasterij exordiis tantâ fuit in obseruantia; vt feminam recipere, non dicam aliquatenus intra septa, sed intra publicæ basilicæ penetralia, multis sæculis nefas extiterit atque religio. Cuius rei testem familiarem habemus Rudolphû in memoriâ S. Liobæ, quam Fuldensium monasterium sic ingressam fatetur, vt nec priùs, nec postea vlli vniquam feminarum id concedi potuerit: *quia loco illi, inquit, ex eo quo monachis habitari cæptus est, femi-*

*Monasteriũ  
voluntarius  
quidam car-  
cer.*

S. Bernard.  
Serm. de  
S. Andrcâ.  
Idẽ S. Acha-  
naf. in vitâ  
B. Antonij,  
Cantic. 4.

Lib. 2. c. 17.  
*Mulierum  
congressus &  
aditus vitati  
priscis mona-  
chis.*

Laur. Sarius  
in eius vitâ,  
30. Augusti.

*Fulda quo-  
modo hoc cau-  
stonis genus  
vignerit, vbi  
mulieres et-  
iam à tem-  
plo exclusæ.*



femineus negabatur ingressus. Tantùm autem huic Liobæ soli concessus erat; quia S. Bonifacius martyr senioribus eam commendarat, corpusque eius ibi sepeliendum decreuerat. Moris originem antiquæ litteræ, ipsi adscribunt S. Bonifacio: nam caput priuilegij à Zachariâ Pontifice Bonifacio concessi quoddam extitit, quo æternùm vetitus feminarum ingressus. Quod caput, inde maiores tam sanctè coluere, vt priuilegiis à Martino Papâ, sæculo nono, Abbati Hadamaro; & à Siluestro, Erkenbaldo sæculi decimi ætate; & à Ioanne, Richardo subinde; aliisque ab aliis Pontificibus postea concessis, & nominatim insertum sit, & religiosè à posteris obseruatum. Hinc adeò in antiquis Abbatum actis legimus, anno recuperatæ salutis M C X X I I. cùm Lotharius rex solemnem Pentecosten Fuldæ, vnâ cum reginâ coniuge exigeret, rem diuinam, non in primario, sed in noui montis vicino monasterio procurasse, eò quòd reginæ in istud aditus esset interclusus. Atque huius generis etiam id monitum est, quod Chronico veteri adpersum eruiimus:

Anno M C L X V. Fridericus Imperator de Saxoniâ, in quâ ieiunauerat, in Vigiliâ Palmarum Fuldam peruenit; & quia regina in comitatu eius erat, urbem ei intrare non licuit. Montem igitur Episcopi adiens, ibi sequentem diem Palmarum honorificè celebrauit.

Eadem religio in memoriâ Albratæ Comitissæ pulchrè expressa, quam olim monasterij Banze in Franconiâ apud Mœnum celebrabimus altricem & auctorem. Ipsa namque cùm ad S. Bonifacij limina venit, dices illi fundos oblatura, hoc admodum habitu Fuldam introducit: Nobilis Comitissa, diues terrenarum facultatum, Alberat nuncupata, voluit particeps fieri orationum fidelium fratrum in Fuldensi monasterio Deo omnipotenti die noctuque deuotissimè famulantium. Cùmque se applicaret ad ostia exterioris tabernaculi, id est ad portas ciuitatis, vbi nulla prorsus femina audet progredi, vt vel sic velut Maria introspiciens satiaretur desiderio, quo intrinsecus attrahebatur in Domino, euocat per interuentios Prælatos congregationis, & exponens eis desiderium animi sui, rogat obnixius, particeps eorum orationum fieri. Et si verò Bonifacium I X. auctorem inuenio, qui rogatu Ioannis Merlaurij Abbatis, huius seueritatis rigorem primus emollierit, & feminis aditum ad templi atria patefecerit, neglectæ tamen, seu loco detra-

Cap. 22. vitæ apud Suriū

Origo eius moris, & priuilegij corroborati.

Diplom. MS. in archiuo Fulden.

MS. gesta Abbatum. Lotharij principis regina templo Fuldensi exclusa.

Mons B. Virginis.

MS. lib. oblation. c. 4. Albrata Comitissa Banzenis.

Porta hac monasterij extima. Matronalis verecundia specimen illustre.

Broweri

antiquitate  
videntes.

STV

9



*Animaduersione diuina ob clausuram neglectam, & feminis datum ingressum. MS. annotat. Braschius in Ioanne Abbate. Chron. German. Templi conflagratio.*

detractæ religionis, quam grauem & manifestam Deus ultionem poposcerit, maiores ipsi litteris prodidere. Nam geminâ olim clade flammarum basilicâ vastatâ, tandem omnium luctuosissima superueniens, omnis elegantiae & ornatus prisca vestigia prorsus obliterauit. Anno quippe MCCCXCVIII. ut vulgata monumenta tradunt, templum, fulmine de cælo tactum, conflagrauit, septimâ die mensis Iunij, id est, triduo postquam S. Bonifacij festâ luce, feminis in basilicam & monasterij septa, tunc primùm ingressus datus. Nam instaurato templi & Pœnitentiæ cultu, ritûque condonationum inducto nouo, ne sexus imbecillior eo fructu careret, certos Bonifacius Papa dies mulieribus indulserat, nempe Patrocinio & Dedicationi sacros, queis limina vetita contingere fas esset, diplomate eâ de re dato, Pontificatus anno VIII. Christi Domini MCCCXCVI. Extat veteris libri operimento, notata de hoc incendio hæc scriptura: *Anno MCCCXCVIII. feriâ sextâ post diem S. Bonifacij, quæ erat tunc temporis quarta dies post Octauam Pentecostes, combustum est monasterium Fuldense.* Verùm haud paulo testatior memoria, quam vetus exhibebat hac de re liber membraneus Hunfeldensis ecclesiæ:

ANNO DOMINI MCCCLXXXVIII. FERIA IV. IN VIGILIA CORPORIS CHRISTI FUIT FESTVM S. BONIFACII. ET PRIMA SEXTA FERIA SEQVENTE VENIT IGNIS DE COELO, ET CONSVMSIT SOLENNE MONASTERIVM FVLDENSE.

*Supernè procurata.*

Porro huius incendij pœnam à Numine exactam, ac proposito quodam diuino inflictam, non temerè illatam, agnouit Innocentius Pontifex, maiorum relatu; quando peculiari scripto miseratus, collapsas prædiuitis olim monasterij fortunas, leuat illud exactioinum ac tributorum onere, quod ecclesia Wirceburgensis intentabat; clademque præsentem memorans, ait, *re-cens Fuldensem ecclesiam maiorem, nutu diuino conflagrasse, & totaliter consumptam.* Quod eius diploma datum anno Pontificatus primo, qui fertur Christi MCCCIII. Consimilis pœnæ memoriam Venerabilis Beda in Anglorum gentis historiâ celebravit, quando Colodanæ vrbis monasterium prouiso destinatioque incendio periisse narrat; quia in eo prorsus *omnes & viri*

*A simili.*

*Hist. Angl. lib. 4. c. 25. Colodani Parthenonis incendium.*



& femina ad virtutum studia, aut somno torpebant inertem, aut ad mundi inanias nimis quàm vigilabant. Nam & domunculas, narrat, quae ad orandum & legendum factae, versas tunc in comessationum, potationum, fabulationum, & ceterarum illecebrarum cubilia. Virgines Deo dicatas, contemptâ reuerentiâ suae professionis, quotiescumque vacasset, texendis subtilioribus indumentis, operam lussisse; hisque aut seipsas sponasarum instar in periculum sui status adornasse, aut externorum sibi virorum amicitiam comparasse. Vnde meritò huic loco & habitatoribus grauem venisse de caelo vindictam, flammis saeuientibus præparatam. Rudetute ais, ac immodicè feuerum istuc saeculum; quod adeò rem leuis noxae, siue olim in Britannia, siue hîc in Buchonia, diuinis ignibus iactet expiatam: at miror equidem, quibus existimes igitur, siue viuos poenis constringendos, siue mortuos suppliciis mactandos apud inferos, qui flagitiis longè grauioribus, ac insignitâ hæresis prauitate sub omnium oculis huiusmodi loca foedè polluere, atque hodie etiam contaminare pergunt. Præclare interim, fauente quoque Deo, monasteriis eos affuisse constat Antistites, qui custodiam hanc, ceu religionis præsidium & stabilimentum vitæ purioris, nusquam intermittunt: utpote in cuius sinu atque tutelâ cœnobitarum securus tranquillisque status acquiescit. Sed tempus est, quia nec in omni genere multa exempla suppetunt, & maioribus vrgeri, quàm consecrari leuiora malim, iam illam quoque in diuinis officiis maiorum assiduitatem, attentionem, reuerentiam, quam orationibus, precibus, psalmodiis suis ex D. Benedicti præscripto Fuldenses monachi tribuerunt, sermone perstringere. Nam ut vniuersè sancti Benedicti regulam sequentibus, ita huic surgenti cœtui, erudita quædam & accurata Deum laudandi, opitulandi que multorum saluti, disciplina, ratioque orandi & psallendi certa relicta & præscripta fuit. Hanc optimi regulæ interpretes tribus maximè ornamentis afficiunt, puta reuerentiâ status, attentionis vigilantia, & conformatione vocis ac cantus. Atque hæc omnia excellenti quodam hîc studio viguisse, tum aliis ex rebus manifestum est, tum ex illo capite supplicis libelli primo, quo cœnobitæ, ereptam sibi patrum alacritatem & frequentiam in officiis diuinis nuper vsurpatam, reddi à Magno Carolo atque reuocari

E inter-

*Casimonia  
domicilia nō  
impunè con-  
taminantur.*

*Clausura  
monastica  
salutaris.  
Tident. Sel.  
24. cap. 5.*

*Disciplina  
diuinis offi-  
ciis & psal-  
modiis adhi-  
bita.*

*S. Benedict.  
reg. cap. 19.*

*Triparsitis  
ornamentis.  
Bonauent.  
specul. ad  
Noiit.  
Turccrem.  
in cap. 19.  
reg. S. Bene-  
dict. tract. 76.*

Broueri  
antiquitate  
fuldenses.  
STV  
9



Hugo Victo-  
rius lib. 2. de  
clauſtro ani-  
mæ, cap. 22.

S. Cyprian.  
lib. de Domi-  
nicâ Orat.  
Cassian. Col-  
lar. 9. Abbat.

Iſaac 26.  
Laudatum id  
discipline de-  
corû à Rha-  
bano.

Rhaban. in  
fine lib. 2. de  
Cruce.

C. 19. libelli  
ſupplicis.

\* glorifica-  
tionem

Supplicatio  
S. Marci nu-  
dis pedibus à  
Congregatio-  
ne peragi ſo-  
lita.

Abſtinentia  
à canâ.

Vide lib. 2.  
Antiq.

Veteris Con-  
gregationis  
dotes & reli-  
gio.  
Cap. 2. 3. 19.

Cap. 7. 9. 17.

Cap. 8.

interuallo, poſtulant. Vbi fanè reperias, non mente vagos, vel oculis attonitos, vel vultu ſtupefactos, vel habitu denique geſtuque diſſolutos, ſed inſigni erga genus omne beneficorum volûtate, & diuini Numinis maieltatem reuerentiâ modò genua humiles ſubmittere; modò toto ſe corpore pronos abiicere; modò in longiſſimi canonis gratuita penſa, Pſalmos & orationes pari grauitate iuxtâ ac maturitate, ſupplices extendere: vt ſecundùm illud Cypriani, *ſub Dei conſpectu ſtantes, placere voluiſſe intelligeres diuinis oculis & habitu corporis & modo vocis.* Ex hac iucundè ſeuerâ morum pulchritudine, ſcilicet totus à puero fictus factuſque nimirum is erat, qui in hæc vota geſtiens exclamauit: *Vtinam uſque in finem vitæ meæ placita tibi, Chriſte, & honorifica ſemper decantem, minimus omnium ſeruatorum & peccator Rhabanus, hymnis, laudibus, corde, ore, manu, & totius geſtu corporis.* Et quia in paragrapho XIX. *crucis* gloriationem cum Litaniis ab ſe uſurpata præſci cœnobitæ vindicant; non præteriero moris id, quod in ſeram quoque ætatem ſæculi à Chriſto nato XIII. durauit; cùm præſtites cœnobij nobiliſſimi homines, totaque congregatio, die S. Marci, perfrigidâ licet tempeſtate, magnâ religione, cum crucibus & verendis reliquiis in Heimbachium uſque pagum, nudis pedibus ſupplicatum contendit. Teſtis eſt Marquardus Abbas, qui ad annum Chriſti M C L. peruenit, cœnobitas hîc, in magno abſtinentiæ rigore, annum totum caruiſſe canâ. Id quod moribus antiquis conſentaneum, acta docent collationis ſanctorum Abbatum, qui ſub Luduico pio Aquisgrani conuenerunt, *vbi bis fieri reſeſtionem indulgent diebus tantum anni ſolemnioribus.* Inſunt item & alia in hoc, quem ſæpè iam nomino, ſupplice libello, quæ commendationem pariant, & laudem haud minorem Fuldenſi monaſterio. Eniteſcit enim excellens & eximia quædam pietas animi, prudentia, moderatioque ſingularis, & admirabilitas ſolidarum virtutum; ſiue ſtudioſum ſpectes & ſeruorem, quo incolæ res diuinas complexi ſunt; ſiue vigilantiam, quâ in ſummâ monaſtica vitæ integritate, cupidos homines, fraudulentos ac nefarios, tamquam peſtes à ſui corporis ſocietate repulerunt. Iam inibi quanta deſpicientia rerum humanarum, quâ ſpernere ſe cuncta & negligere ſatis profitentur, ad quæ expetenda morta-

morta-



mortales auidè rapiuntur? quæ gratificandi liberalis voluntas? Cap. 7. 14.  
 quâ, tum peregrinos hospitalitate maximâ profecuti sunt; tum  
 domi maiores natu, calamitosos ac debiles eâ sibi charitate fo-  
 uendos duxere, quam super omnia non cœnobitica magis,  
 quàm ipsa lex commendat Christiana. Verùm non hæc insti- Cap. 5.  
 tuta mihi narratio de toto genere; præsertim cùm eorum quæ  
 in hac familiâ inueterasse constat, à bonis temporibus tam  
 multa exciderunt. eâ re ad hanc potiùs disciplinæ formam ag-  
 gredimur explicandam, quæ plurimùm ingenij magis ac natu-  
 ræ, quàm diuinæ gratiæ viribus comparatur.

## CAPVT IX.

*Schola Fuldensis, & doctrina studia.*

**Q**UOD in illustribus reip. Christianæ gymnasiis, nascente Euseb. ecclef. hist. lib. 5. c. 10. & 11. lib. 6. c. 12. Hieron. epistol. 64. ad Pamach. 2. ad Nepotian. Cassiodor. præfat. Instit. diuin. lect. Scholayum Christianarum origo & progressus. S. Basil. reg. ful. disp. intertog. 5. vi. Synodi. Conc. Lateran. sub Alexandro. Cassiodor. cit. Monasticarum. In Viuariensi.  
 in Oriente fide, Pantenus, Clemens, Origenes, Alexan-  
 dria; quodque Antiochię, Apollinarius Laodicensis; Constan-  
 tinopoli, Gregorius Nazianzenus Theologus & vir eloquentis-  
 simus; quodque alibi diuinæ sapientiæ proceres habuerunt  
 operæ, vt florentissimis doctrinarum studiis & propriis qui-  
 busdam ingenij luminibus, religionem Christianam apud ru-  
 des illustrarent, apud discipulos in honorem adducerent, ac de-  
 nique aduersus gentilium & hæreticorum proteruiam defen-  
 derent; id acceptum à maioribus posteri munus, cùm aliàs  
 semper excoluere, tum apparatione quoque singulari ingenio-  
 rum resuscitarunt, postquam S. Benedicti proles in Germaniâ,  
 Galliâque, Francorum imperio, lætiore germine multiplicari,  
 & ad nouarum gentium populorùmque conuersionem efflo-  
 rescere cœpit. Etenim vetus id, & laudatum erat in Ecclesiâ, vt  
 apud Clericos probatæ vitæ, atque etiam in monasteriis ludi  
 patefierent, in quibus ad optimos iuuentutis erudiendæ magi-  
 stros pubes Christiana ventitaret, & à teneris, præcepta mo-  
 rum, doctrinæ sacræ ac pietatis imbiberet. Præluxerat hic in  
 Italiâ Viuariensibus monachis clarissimus senator Magnus  
 Aurelius Cassiodorus; cuius & vestigia pressit S. Benedictus:  
 qui pueritiæ informandæ, locum in suo monasterio dedit, cùm

E 2

Placi-

Brouveri

antiquitate

Fuldenses.

STV

9